



TELA GRATIARVM

A

MARTINO MESQVITA
LVSITANO

Contexta.



R O M Æ,
Ex Typographia Ignatij de Lazeris M. DC. LV.

SVPERIORVM PERMISSV.



TELA
GRATIARVM;

Siue

EMINENTISSIMI PRINCIPIS

ANTONII
BARBERINI

S.R.E. CARD. CAMERARII ;

VITA.



Alma Trias CHARITVM , Soboles formosa TONANTIS ,
AGLAIA , EVPHROSYNE , & Iouis indole blanda THALIA ,
Ab Ioue in Heroum lapsæ præcordia , reddunt
Mentibus humanis Heroica tempora : Summis

A 2

Si

Sideribus fociant Terras , & sidera Terris ;
 Ire iubent auro rutilantia sæcula , & aureis
 Vnanimes religant Hominesque , Deosque catenis .
 Hæc Trias ANTONI sub pectore regnat ; Olympum
 Credidit hoc , Soliumque Patris , cui mille conuscant
 Sidera virtutum , similemque HEROA Tonanti ,
 Et largitorem pretiosæ lucis , & auri ,
 Altoſemque Hominum , Annonæ , frugumque potentem
 Credidit eſſe Iouem . Fatali lege Sorores
 ATROPOS , & CLOTO , & LACHESIS , ſua penſa , trahebant
 Vellere regali tam cari PRINCIPIS annos .
 Sed Charites venere : pares numeroque , manuque ,
 Trēs tribus aduerſæ Iuvenes Senioribus , auctas
 Eripuere colos : viduarunt flamine fuſos :
 Parcarumque vicem Charites ſubiire . Puellis
 Non tribus arrifit vulgaris Purpura Regum :
 Tonſile ſed Phoebi rapuerunt crinibus aurum ;
 Stellarumque comas in lucida fila ſecantes
 Ditarunt nitidos aſtrorum vellere fuſos .
 Scilicet Herſum voluentem pectore curas ,
 Plebeiumque nihil , nihil & mortale parantem ,
 Semper & ad ſuperos , ad ſidera ſemper anhelam
 Sideream ANTONI voluerunt ſidera VITAM

Texere

Texere . Non hanc PARCA, triplex sed GRATIA telam
Infruit, & Sol huic radios in fila ministrat.

Instar folis erit, quem PVRPURA folis adumbrat :

Quis non gratus amet, quam texit GRATIA telam?

Ergo tres CHARITES, superis spectantibus, ingens

Aggrediuntur opus . Sed carminis autor Apollo

Non segnis spectator adest ; Citharaque laborem

Incitat, & rutilo contextam fidere telam

Laudat . Et vt rarum sit laudibus argumentum ;

Texit & ipse suam memorando in carmine telam !

ANTONI VIRTUS, & VITA simillima DIVIS

Ducitur in telam ? Coelestia fila Sorores

Ducite . Vos etiam nostro de vertice crines.

Ite sub ANTONI subtegmina PRINCIPIS : & vos

Texite sideream noua sidera, texite vitam .

Exoritur Romæ Romani Nominis HERES :

Aetheria rerum Dominos cum luce Quirites

Hauriet, & Magnos referentes signa CAMILLOS,

Hannibalisque moram FABIOS, & fulminis instar

SCIPIADAS geminos, & mites CAESARIS iras ;

TRAIANVMQ. PIVMQVE, CRVCISQVE in sole coru cum

Fundantem Imperium Duce NVMINE CONSTANTINVM .

Mille Duces, veteresque, novosque ANTONIVS vnus

Hauriet, & totam generoso pectore Romam .

Texite Sideream noua sidera , texite vitam .

**Iam septemgemi magnæ ad CVNABVLA montes
Inclinant septem Romæ cum moenibus Arces ,**

**Hoc Duce nam PVERO contingent Aethera montes ,
Romanæque Polum contingent altius Arces .**

Flumine inundabis Tyberine tumentior Urbem !

Flumine inundabis, sed flumine nectaris Urbem !

Obrue Tybri Pater pretiosis fluctibus urbem ,

Obrue . Maiori PVER eluione beabit :

Auroque, & gemmis ANTONIVS obruet urbem .

Texite sideream noua sidera, texite vitam .

**At postquam roseis pubescet floribus Aetas ,
Atque HEROA sacris obnubet PVRPVRA villis ,**

Purpura, quæ sacros inspirat Numinis ignes ;

Vnius ille Dei pro NVMINE, NVMINIS armis ,

Roma, tuas Aras, tua Iura, tuosque QVIRITES ,

Et VATICANI, Solium coeleste PARENTIS

Defendet . Procul ille tuis è montibus Hostem

Arcebit procul, & Romanas asseret Arces .

Texite sideream noua sidera texite vitam

Testis nubiferas molita BONONIA turres :

Testis Atestinis FERRARIA celsa triumphis :

Et

Et Phaëtonæis flammis æquale Sepulchrum
ERIDANVS testis : Licet hic **REGNATOR** aquarum
Hesperidum, **Pontem** indomita ceruice repellat ,
Impatiensque iugi, **Pelagoque** superbior **Amnis**
Arietet Adriacas septenis cornibus vndas ;
ANTONI tamen impositum super æquora pontem
Accipiet famulo in tergo, **Peditumque**, **Equitumque**
Transmittet patiens aduersa per oppida pubem .
Texite fidream noua fidera, **texite vitam** .

Obstupuere lacus , & **flumina capta** : trecentis
Maxima cum timidis trepidarunt flumina Nymphis .
Ipsè suis etiam Pater ADRIA inhorruit antris
Fulmina miratus ! Medijs trepidabit in vndis
ADRIACI REGINA MARIS ; cum territa cernet
Romano Venetos calcari milite campos .
Texite fidream noua fidera, **texite vitam** .
Antè expectatum, subitis ad **moenia castris**
Accipitrum fuluis, **Aquilæque citatior alis**
Oppida, quæ capiet, quas **Hostibus auferet Arces**
OBSCVRI canet VNDA LACVS, par vnda serenis
Luciferi flammis, & **Sole nitentior omni** .
Talia quis vidit miracula ? capta repentè
Tormenta attonitum muralia vertere in Hostem !

Et

Et munire sibi quas hostis condidit Arces !

Texite sideream noua sidera, texite vitam .

Arcis ad obsidium raptæ, Famæque ruina,

Protinus vlturæ legiones mille redibunt .

Vnius ANTONI sed mente, manuque manebit

Arx inuicta . Cadet legionibus irrita virtus :

Mille acies campis ad funera mille redibunt .

Arce tonante , tonante Iouis velut Arce, Gyantum

Vndique fulminibus sternentur inertia passim

Corpora : strata gemet morientum pondere tellus .

Texite sideream noua sidera, texite vitam .

Quin etiam Adriaco captas in littore NYMPHAS ;

Nymphas inuectas auro, curruque superbas

Regali hospitio FERRARIA pulchra videbis !

Illas, & meritis, & nomine Reginarum

Semper in Imperijs, & libertate potentes

Sidereis opibus, sacrisque monilibus auctas,

Et pretio raris, & grandi pondere gemmis

ANTONI VIRTUS in patria Regna remittet :

Texite sideream noua sidera, texite vitam .

More triumphantium reduces ad Regna redibunt

ANTONI mores, & fortia facta canentes .

Hæc est ANTONI victoria, parcere victis,

Nec

Nec ferro tantum, sed vincere amoribus Hostem,
VICTORIQUE parem, & VICTO sociare triumphum.

Texite fideream noua fidera, texite vitam.

Vos etiam latis FARNESIA LILIA campis,

Lilia fidereo ferientia vertice cœlum,

Et Vaticanos ferientia vertice montes:

Vos Aquilæ Eſtenſes nidis regalibus ortæ,

Filia Tuque olim, Magnæ nunc æmula Romæ,

Regibus affinis, Genitrix Florentia Regum,

Vos, iunctis armis hunc formidabitis HOSTEM,

Et formidatum semper laudabitis HOSTEM.

Texite fideream noua fidera, texite vitam.

Sed miserata suis viduari Ciuibus vrbes.

Et totum humanis stagnare cruoribus Orbem,

PAX aget immanem crudelia bella sub Orcum,

Inijciatque suas HEROLBVS alma catenas

Igne laboratas; sed Amoris in igne catenas.

Hinc illi auspicijs superum, & plaudentibus astris,

Plaudente & Roma, & centum cum Tybride Nymphis,

Mutua regales iungent in fœdera dextras,

Caroli & ANTONI regalia pignora dextras.

Texite fideream noua fidera, texite vitam.

Quanta sed ANTONI cœlestia dona filemus!

Om-

Omnia ut ille sibi Populorum raptor amores
Attrahet ! ut laudum resonantem murmura ROMAM ,
CONCILIVMQ. PATRVM ROMAE, REGVMQ. SENATVM

In sua conuertet praecopia fausta ! suorum
Ut decorum magnos trahet ad spectacula Reges !

Magni quin etiam dum Regia LVDOVICI

Agminibus pluuium partitur egentibus aurum ,

Et rigat auriferis Aquitanum fluctibus Orbem ;

Vtitur ANTONI Manibus Regalibus ! Aurum

Per varios late Populos , & mille per Vrbes

Amplificat Manus ANTONI . Sic fulgura lucis

Multiplicat speculum, solemque è Sole refundit .

Non solum Reges ; ager ad spectacula DIVOS :

Quorum munificis augebit honoribus Aras ,

Templaque Coelicolum gemmis augebit, & auro .

Texite fideream noua fidera , texite vitam .

Ut contemptor opum ! Vnius Virtutis avarus ,

Hermus ut vndat agros auro , pretiosus ut aurea

Tempestate Tagus , miseros sic ille beabit .

Numinis instar opum cumulo ditabit egenos :

Virgineos coetus alet : & VIRTVTIS ALVMNIS

Largior, angusta properabit munera dextra .

Ille suas Aedes , sacras virtutibus Aedes ,

Tem-

Templum Augustum, ingens PHOEBUS, Musisque sacrabit .
Hoc Templum Musis : sed longè Augustius idem
Pectus pro Templo Phœbo , Musisque sacrabit .
Dux ego in hoc Templum CYRRHA , geminique relicto
PARNASSI PHOEBVS deducam vertice Musas ,
Mille & in ANTONI accendam præconia Vates .
Texite fidream noua sidera , texite vitam .

E MINENTISSIMI PRINCIPIS



Humillimus Seruulus

Martinus Mesquita
Contexit.

Anno M.DC.LV. Aetatis suæ 17.

Imprimatur;
Fr. Dominicus Manettus Reuerendiss. Patri Mag. Sacri
Palat. Apost. Socius: